



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,  
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

**Fabri, Honoré**

**Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII**

Quæstio 8. An subditi habentes opinionem probabilem de injustitia tributi,  
à solutionis onere eximantur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

minibus, posse iudicem sequi ex opinionibus probabilibus ex parte juris, aut facti, quam maluerit; non solum, si æque probabilis sit, ut vult Bonacina tom. 2. disp. 2. quæst. 4. p. 9. num. 15. Sed etiam si sit minus probabilis: si tamen probabilis sit; quia quam maluerit opinionem sequendo prudenter agit, & opinio, quæ quibusdam videtur probabilior, aliis videtur minus probabilis, &c. Nec est verum, inquit, partem, pro qua stat opinio probabilior juris, aut facti, maiora merita causæ habere, nam hæc non pendet ex hominum opinione, sed ex ipsa re; & quamvis unus melius probet factum, si tamen alius bene, & sufficienter probet, non propterea illa maiora merita habet, cum possit factum solum bene, & sufficienter probatum maioris esse meriti ad causam, de qua agitur, quam factum illud probatum melius: \* Sic M. Serra, cui obiter consentit Fr. Leander à Murcia in *disquisit. moral. in 1. 2. lib. 1. disp. unica. resol. 17. num. 8. ubi* sic: licet sit probabilis opinio, quæ docet, posse iudicem in iudicando in rebus civilibus sequi opinionem probabilem circa factum, relicta probabiliori; sine dubio est securius, si sequatur probabilior opinio, cum ex contraria imminet proximo grave damnum. \* Quorum opinio communiter sentitur; nihil enim apud omnes magis sanctum, quam iudicem debere iudicare secundum allegata, & probata, merita causæ ponderando: ad hoc enim munus à Republica constituitur.

13. Adde, quod licet citati recentiores probabilitatem aliquam extrinsecam præfatæ contra communem opinionem conciliare possent (quod ego non admittam) non hominibus Ministris Regii illi adherere non possent, quia iudices contra communem sententiam iudicantes, et si opinionem unius, vel alterius patrocini non mutam sequantur, peccare mortaliter, & teneri parti restituere, tenent communiter Doctores, quos citatos sequitur Verri celli tom. 2. quæst. Moral. tract. 2. q. 16. Quod probat ex receptissima, & antiquissima communium Tribunalium consuetudine, quam habere vim legis, ubi deficit lex, tradunt B. Id. in cap. ne innotat, & alii communiter. Ex quo principio docent, iudicem, contra communem sententiam ferentem puniendum in Syndicatu, & compellendum parti restituere, & præsumi per ignorantiam iudicasse. Pro qua opinione Joannes Maria Corasius in tract. de com. opin. lib. 3. tit. 8. n. 16. infinitos Auctores citat, dicens, hanc opinionem non habere contradicentem.

## QVÆSTIO VIII.

An subditi habentes opinionem probabilem de injustitia tributi, à solutionis onere eximantur?

1. Quando certum est, tributum esse iustum & utile, et expendi communis sententia tenet, debet in conscientia solvi, etiam ante omnem iudicis sententiam; ut patet ex illo ad Rom. 13. Cui tributum, tributum. Quam adeo certam, ait Sanchez in consiliis, lib. 2. cap. 4. dub. 1. num. 8. & 9. \* Ut Castro contrariam errorem appelleret. \* Unde sit omnino reiciendos Angelum, Navarr. Bejam, Duardum, & alios apud Dianam 1. part. tractat. 10. resol. 19. Item Sayruum; Fararonium, & Joannem Sanchez apud Bossum 1. part. §. 24. num. 290. & 296. Qui oppositam sententiam amplectuntur, existimantes tributa, & vectigalia esse leges pœ-

Pars II.

nales, quas in conscientia non obligare autumant, non advertentes Rempublicam ex contractu debere Principi congruum dignitatis subsidium.

2. Difficultas ergo solum est: An quando non est certum tributum esse iustum, teneantur subditi in conscientia solvere? Negant plures, quos citatos sequitur Verri celli tom. 1. quæst. tract. 2. q. 32. num. 5. Petrus de Navarra lib. 3. de restit. cap. 1. num. 267. Salom. tom. 1. quæst. 5. artic. 4. contr. 2. Malderus 2. 2. tract. 5. cap. 6. dubio 4. §. dico 6. Et alii, quos refert Joannes Sanchez in selectis, disp. 3. num. 35. \* Inter quos (inquit) est Angelus, Sylvester, Armilla, Cajetan. Aragon. Gabriel Rodriguez, id dicens de novis tributis, Villalobos, & alii. \* Quibus adde Ludovicum Lopez, Vegam, D. Antonium, & alios, quos citatos sequitur ipse Sanchez, disput. citata, asserentes, subditos habentes opinionem probabilem, quod tributum sit iniustum, non peccare non solvendo, quos refert Joannes Martines de Prado tom. 1. quæst. cap. 1. q. 7. §. 10. Et sequitur Mag. Barnabas Gallego tractat. de conscient. probab. circa Regem, dub. 19. dicens: pro hac opinione stare D. Anton. & Ludovic. Lopez, & ei favere Cajetanum, Sylvestrum, & Armillam. & teste Lessio lib. 2. de iustit. cap. 33. num. 67. Est communis Doctorum, quibus plerumque nonnullis citatis consentit. Pius addunt alii, nempe, dubitantes de iustitia tributis non teneri solvere, ita cum Cajetano, & aliis Mag. Texeda tom. 1. contr. tract. 1. diff. 26. num. 2. Et de novis tributis loquens tenet Molina tom. 3. de iustit. tract. 2. disp. 27. 4. & apud illum, Cajetanus, Sylvester, Gabriel, & Medina, quos sequitur M. Joannes de la Cruz in direct. part. 1. quæst. 7. artic. 3. dub. 1. conclus. 2. Ubi ad argumentum, quod in dubio præsumendum est pro Rege; respondet, hoc debere intelligi, quando non agitur de interesse ipsius Regis.

3. Cæterum, si opinionibus his standum esset, vix occurreret casus, quo obligatio solvendi tributa subditos teneret; quia vix ullam Gbellam esse iustam, tradit Cajetanus, verb. Vectigal. cap. 3. Et omnes ferè dubias esse Mag. Fumus, verb. Gbellam, num. 16. Et omnia nova vectigalia, & veterum nova incrementa; nisi constet de eorum iustitia, præsumi iniusta, ac proinde in conscientia non deberi, tradunt Cajetan. Sylvester, Fumus, Aragon, Gabriel, Driedo, & alii apud Lessium lib. 2. cap. 33. dub. 3. num. 63. & iniustum esse tributum, quod imponitur solvendum ex rebus, quæ communiter ad usum vitæ humanæ emuntur, ut ex pane, vino, oleo, & carne, tuerentur apud Lugo tom. 2. de iustit. disput. 36. sect. 2. num. 24. Cajetan. Tabiena, Sorus, Ledesma, Zannardus, & alii, quos refert etiam Diana part. 2. tract. 3. resol. 28. Unde, si probabilis opinio de iustitia tributis, vel dubium circa iustitiam, sufficeret ad eximendum ab onere solutionis; & sola certitudo iustitiæ ad solutionem constringeret, vix, quoad nova saltem tributa, casus occurreret, quo vasalli contractos se agnoscerent.

4. Dicendum ergo est, subditos teneri tributa solvere, nisi evidenter appareant iniusta. Ratio est, quia impositio tributis se habet veluti sententia iudicis pro bono communi contra vasallos; atque privatus re sua per sententiam, tenetur ei parere, etiam si probabile, imò & probabilis sibi oppositum appareat: ergo similiter in nostro casu. Sic cum Mag. Soto de iust. lib. 4. quæst. 6. artic. 4. sentit P. Vasquez opus. de restit. cap. 6. §. 3. dub. 5. num. 78. Dicens teneri parere, & standum iudicio superioris, nisi præferant vectigalia Tyrannidem. \* Confirmatur ex doctrina communi Doctorum apud

R

Sanchez

Sanchez in Sum. lib. 6. cap. 3. num. 3. quos ipse sequitur, asserentes, ut subditus teneatur obtemperare, sufficere non sicut evidenter esse injustum, & extra limites potestatis superioris, id quod jubetur. \* Quia (inquit) sententia constat ex S. Augustino, \* & docent viginti alii auctores, quos ibi refert. Cujus ratio est, quia in casu dubii, melior est conditio superioris, utpote qui in possessione potestatis præcipiendi existit; qua spoliandus non est, nisi ubi constiterit, limites sue potestatis excedere, rem injustam præcipiendo. Ergo, cum Princeps sit in possessione potestatis imponendi tributa, quando, juxta probabiliorum Ministris opinionem, iusta censeantur, neque bunt subditi ab onere parendi eximi, dum evidenter non appareant injusta, & consequenter potestatem Principis excedere.

5. Denique hæc sententia probatur ex principio illo per se noto; bellum esse non posse iustum materialiter ex utraque parte: ex quo evidenter deducitur, si certum fuerit, Principem, & eius Ministros posse imponere tributa, certum etiam fore, subditos ad solutionem obligari: aliis immane, & ridiculum esset præceptum, cum vim obligandi non haberet: mandatum enim, & obedientia sunt correlativa. Cum ergo ex communi Theologorum sententia, sine controversia sit, Principem posse tributa imponere, si juxta probabiliorum opinionem iusta censeantur, eadem certitudine tenendum est, subditos ad sic imposita solvenda, adstrictos manere.

6. Secus verò esset, si Ministri Regii, opinione probabiliori omnia, minus probabilem, circa justitiam tributis, sequentes illud imposuissent: tunc enim cum probabile tantum esset, tributum imponi potuisset, locus maneret opinioni contrariæ ex parte subditi, quæ ab onere solutionis illum eximeret. Quam tueretur M. Gallego de conscientia probabili, dub. 19. & de conscientia dubia, dub. 99. Et pluribus citatis Diana 1. p. tract. 4. de Parlam. ref. 21. Navarra, Lessius, Reginaldus, Megala, Salon, Malderus, Trullench Card. de Lugo, & alii, quos citat, & cum limitatione sequitur M. Prado tom. 1. quæst. moral. cap. 1. de consc. quæst. 7. §. 10. pro casu, scilicet, quo magis probabile sit, tributum esse injustum; secus si æque tantum probabile. Quamvis enim bellum iustum materialiter ex utraque parte omnino repugnat, non tamen est inconveniens, quod stante opinione utriusque probabili, quia invincibiliter ignoratur, quæ sit in re vera, detur formaliter iustum ex utraque parte. Unde Princeps suam opinionem probabilem sequens, iuste probabiliter imponit (juxta opinionem plurium, quos præcedenti quæst. adduximus) & subditi similiter contrariam, aut probabilem, ut plures volunt, aut probabiliorum, ut concedit Prado cum M. Ludovico Lopez, iuste negant. Et in hoc sensu intelligendi sunt Doctores omnes, qui subditum habentem opinionem probabilem de injustitia tributis excusant ab obligatione solvendi. Supponunt enim Principem non certo jure, sed ex probabili tantum opinione, gabellam imposuisse.

7. Hinc deduces, quid censendum de censura Vincentii Baronii in opere contra Amadeum, disput. 1. sect. 1. §. 2. fol. 20. Ubi has opiniones \* periculosissimas \* appellat; eo quod iustum bellum ex utraque parte accendant. Sed vir doctus non advertit, Doctores omnes admittere, ex conflictu opinionum, dari posse iustum bellum formaliter ex utraque parte, & solum negare iustum materialiter, scilicet sine eo quod ex parte aliqua sit error, sive ignorantia invincibilis veritatis. Ut videre licet apud Dianam 6. p. tract. 4. ref. 24. Et in re præfenti, negari non potest à Thomistis quæst.

præcedenti citatis, qui ex opinione probabiliori iuste imponi, defendunt: imò nec ab illis, qui istos Regios sequentes opinionem, quam probabiliorum iudicant, circa justitiam tributis, possunt imponere, & ex alia tuerentur, subditos debere sibi probabiliorum contrariam opinionem de iustitia talis tributis, posse non solvere. Opiniones quæ probabilior videntur est Ministris Regis, minor probabilis aliis viris doctis, & probis videntur, si cum subditi possint suam probabiliorum opinionem amplecti, ab onere solvendi eximentur, ut cum M. Lopez, & alii concedit M. Prado ubi supra. Ex prioriori jure, si ad eorum opinionem recurratur, quæ asserit subditos ad solutionem non teneri, à se constet de justitia tributis: Quam ex Sylvestro Capatano, Armilla, & aliis refert Joannes Sanchez præp. disp. 33. num. 35. Quia licet sit probabilior opinio de justitia tributis, respondere adhuc poterunt constare de justitia. En Baronius, in omnium opinione, bello iusto ex utraque parte patet aditum. Ubi planè deduces, aut omnes opiniones probabiliores à te vocandas, aut supra commemoratas ex tota non esse sedandas. Vide Joannem Sanchez in de illis disp. 33. num. 42. §. Sed esto, & disp. 43. num. 10. §. Nec reputandum inconveniens, & disp. 44. num. 10. & 59. Ubi plures citat admittentes bellum iustum ex utraque parte, quando Princeps opinione probabiliori ducitur: \* Alias, inquit, nunquam daretur casus belli iusti ex opinionibus probabilibus. \* Et tenent apud illum Victoria, Malderus, Covarr. Filiucius, Pefantius, & alii. Et est communis, ut bene expendit P. Granado 22. cont. 3. de Chanc. tract. 12. disp. 4. sect. 3. §. 3. num. 36. \* Nec id est peculiarare, inquit, in nostra opinione: nam secundum omnes Doctores, si uterque Rex putat esse certam, civitatem ad suum regnum pertinere, uterque iuste bellaret formaliter, sed unus re ipsa falleretur, & ex parte eius esset bellum injustum materialiter. Ita verò ad iustum bellum requiratur certitudo moralis justitiæ causæ: Affirmant Vasq. Victoria, Solus Molina, Villalobos, & alii, quos sequitur Venzellus tom. 1. q. mor. tr. 2. q. 14. num. 38. Alii vero probabiliter sufficere asserunt. Ita Suarez, Valentia, Filiucius; quos sequitur Granado ubi supra num. 29. sed de his alibi. Hic autem sufficit contra Baronium demonstrasse bellum iustum formaliter, ex utraque parte, in nulla opinione vitari posse.

8. Ratio ergo, ob quam asserere debemus, Ministros Regios nequire minus, aut æque probabilem opinionem amplecti in impositione tributis, pendenda non est ex inconvenienti belli formaliter iusti ex utraque parte, cum hoc parvi haberi debeat, si passim à Doctoribus omnibus admittatur, tam in tractatu de bello, quam de tributis: sed ex evidenti sumenda, quod Index opinionem probabiliorum circa factum (imò & circa ius, ut opinor) amplecti teneatur: hoc enim onere iustitiam iudicis subditi, utque persona, scientia, & prudentia prædicta à Principe sufficitur, ut rectum possit exercere iudicium, quæ quidem qualitates non desiderantur, si bellum probabilis opinio ad ferendam sententiam sufficeret. Hinc etiam pro obligatione certa solvendi tributum desumitur argumentum ex potestate certa, & indubitata superioris ad imponenda tributa, quæ iusta, Ministris, & Theologis piis, & doctis consulti, probabiliter appareant. Si enim cetero modo solæ causæ ad eorum impositionem necessitate forent, cum hæc sæpe non concipiatur, bonum publicum

aperto periculo frequenter exponeretur, quod pri-  
vato subditorum præferendum est. Debet ergo habe-  
re certa, & indubitata potestas hæc in Principe, &  
consequenter obligatio solvendi in subditis; quan-  
tumvis opinio contraria de injustitia tributi aliis pro-  
babilior videatur, (quidquid contradixerit M. Prado  
supr.) nec constat de iustitia tributi, ut alii dixerunt.  
Quorum opinio rejicienda est, quia bellum formaliter  
iustum, ex utraque parte, nequit non accendere,  
cum fere nunquam deficiat subditis opinio de injus-  
ticia tributi, vel ratio constat de illius iustitia, sed eos  
sunt a tributi, cui Minister Regis in eorum impositio-  
ne steterint, an probabiliore de illorum iustitia? an æ-  
que, aut minus probabilis Unde tenendum est, quo-  
ties de injustitia tributi, vel de inutili distributione  
certo non constat, nullus opiniois præsidio, posse  
subditos à solutione excusari, quia certa secus manet  
Principis potestas ad obligandum.

9. An verò iustæ gabelle, ad quas in conscientia  
solvendi, subditi tenentur, solvi debeant, si ab ex-  
actoribus non petantur? Sub lite est. Thomas Hurta-  
do tom. 2. variat. tract. 8. cap. 1. resol. 9. num. 175. & 198.  
Ex Thomistarum doctrina collatis locis, totus est in  
probando partem negativam. Sententia, inquit, quæ  
asserit, non teneri in conscientia quemqueolvere  
gabbellas, etiam iustas, nisi ab exactore, per se, vel per  
suos ministros ex gantur (etiam si occurrat, & secretò  
transvehat merces, & eas vendat) valde probabilis  
est. Sic tenet Soto. Binnex, &c. Quem tenet Tabie-  
na, &c. Unde satis bene Martinez de Ledesma 2.  
part. 4. q. 18. art. 3. conclus. 3. pag. 259. Sic dicit: \*Gabella,  
minime solvitur communiter, scilicet petita à publi-  
cano, & non aliàs, est tributum honestum, & mode-  
ratum, & tenentur civesolvere, &c. Adde etiam D.  
Thom. 2. 2. q. 87. art. 1. ad 5. Ubi loquens de decimis  
idem clare docet. Quidquid dicat Suarez tom. 1. de re-  
lig. lib. 1. cap. 37. num. 2. D. Thom. sequitur b. Cajetan.  
\*Hactenus Hurtado. Ego verò, licet eos, qui bona  
fide, absque fraude, & dolo, non solvunt, probabili-  
ter existimem, ab onere restituendi liberari, si tributa  
ab exactoribus non petantur, eo quod ita videatur  
constare ex usu, & consuetudine communiter rece-  
ptis, quæ voluntatem Principis non aliter obligantis  
interpretantur; nunquam verò sentere potero, excu-  
sandos, qui consulto merces occultant, ut ab exacto-  
ribus non petantur, & potiori jure, qui decimas non  
solvunt: quia fraus, & dolo nemini patrocinari de-  
bent, nec intentio Principis his favens præsumi po-  
test: ut bene docent Palacios, Angles, Cordova,  
Menchaca, & alii, quos sequitur Thom. Sanchez tom.  
2. consil. lib. 2. cap. 1. dub. 10. & M. Tapia in Catena lib. 4.  
de legibus, q. 11. art. 13. Ubi sic. \*Dicendum est non pos-  
se tributarios, fraude, aut dolo occultare tributa ius-  
ta, quamvis eorum solutio non obliget, nisi petan-  
tur, juxta dicta articulo præcedenti. Quod si fraudan-  
tibus, tenentur ad restitutionem.\*

## QVÆSTIO IX.

Utrum liceat opinionem minus tutam  
eligere circa Sacramenta?

1. Opiniones circa Sacramenta in duplici sunt  
differentia, aliæ versantur circa valorem, aliæ  
circa licitatem administrationem. Contingitque non  
raro, dari opinionem probabilem de Sacramenti va-  
lore, sub hac vel illa materia, vel forma, & tamen ejus

Pars II.

usum illicitum esse, & graviter peccatum, qui sub  
illis ministraret; aut propter Ecclesiæ prohibitionem,  
aut propter consuetudinem legitimè introductam,  
aut propter damnum (si forte falsa sit opinio) proxi-  
mo imminens: quod saltem ex charitate vitare teue-  
mur. Hinc secundum omnes Theologos, baptizare  
non licet in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab  
utroque, tamen probabilis valde sit Cajetani opinio,  
& aliorum asserentium, ejusmodi baptismum esse va-  
lidum. Similiter confici non potest cum aqua rosa-  
cea, vel distillata ex vite, cum adest naturalis, licet pro  
valore baptismi sub hac materia, sint quæstionum  
ferant.

2. Difficultas ergo est, an quando circa licitatem ad-  
ministrationem Sacramenti, opinio minus tuta pro-  
babilis est, liceat eam eligere, & ad praxim devenire,  
relictæ tiori? Pro parte affirmativa plures referri  
solent, sed non omnes hanc quæstionem versant.  
Quia præfidentes ab opinione præsupposita, circa  
licitam Sacramenti administrationem, hic, & nunc,  
sub hac materia, vel forma, inquirunt, an liceat am-  
plexi opinionem probabilem minus tutam circa va-  
lorem Sacramenti, illudque administrare sub mate-  
ria, vel forma tantum probabili, relictæ certa? In qua  
quæstione, seclusa necessitate salutis proximi, id non  
esse licitum, est communis Doctorum sententia: illa  
verò urgente, ex præcepto charitatis administrari de-  
bere. Quia hoc præceptum præstantius est, quàm re-  
ligionis de non frustrando Sacramento, ac proinde  
hujus periculum postponendum: ut bene adnotat  
Vincentius Baronius 1. p. Theolog. mor. disp. 1. sect. 4. §. 8. x.  
fol. 39. Cæterum extra casum necessitatis, probabili  
tantum Sacramento subvenire, quando certè vali-  
do potest, nequit non esse contra charitatem proxi-  
mi, quem exponimus periculo carendi fructu Sacra-  
menti. Quinimò & contra Religionem, propter Ec-  
clesiæ prohibitionem, extra casus permisso, de quibus  
Doctores passim. His positis.

3. Quod inquirimus est, an quando valor Sacra-  
menti non est certus, est tamen inter Doctores pro-  
babilis opinio, circa licitatem ejus administrationem,  
in his circumstantiis; liceat minus tutam amplexari?  
Negant moderni, qui ad tutiorem opinionem circa  
licitum eligendam obligant. Affirmant verò com-  
muniter Theologi, qui opinionem probabilem circa  
licitum, etsi minus tutam in quacumque materia à  
peccato omnino excusare defendunt. M. Petrus de  
Ledesma in Summ. tom. 2. tract. 1. de Eide, cap. 5. post 6.  
conclus. \*Tengo por regla cierta, que la opinion pro-  
bable en las cosas morales, siempre se puede seguir  
de la manera que es probable, aunque sea en agtatio  
de tercero, y en materia de Sacramentos, y esto so-  
pena de no ser probable. \* M. Acatius de Velasco  
tom. 2. res. mor. verb. Opinio, resol. 316. & 320. n. 2. \*En-  
todas las materias, y en qualquier negocio, aunque  
sea de gran importancia, siguiendo opinion proba-  
ble, aunque sea menos segura, se obra con toda se-  
guridad de conciencia.\*

4. Eandem scientiam (etsi plus contendere vide-  
tur) defendit M. Serra 1. 2. tom. 2. quæst. 19. art. 6. dub. 4.

\* In administratione, inquit, Sacramentorum, lici-  
tum est, omisso eo, quod tutius, sequi opinionem pro-  
babilem asserentem, sic vel sic valdum, & non igitur  
fieri Sacramentum, aut ejus effectum suscipi: si  
tamen Ecclesiæ usus, & consuetudo id permittat,  
& non prohibeat. Probatur, nam circa potesta-  
tem, & jurisdictionem Sacerdotis ad absolven-  
dum poenitentem, sine quibus nulla est absolutio, &  
poenitentia Sacramentum est invalidum, multæ sunt  
opinio-

R 2